

sanctae commendationis animae esse responsoria in ea recitare narravit

† R. P. Ioannes Ev. Urbany.

(*E prov. Germ. infer.*).

Senior provinciae Germaniae inferioris, S. P. N. Alphonsi filius fidelissimus, Congregationis amantissimus P. Ioannes Ev. Urbany natus est Luxemburgi die 30 martii 1843. Ei admodum iuveni divina favente gratia

contigit, ut in urbe patria insignem missionarium et Congregationis propagatorem P. Ambrosium Zobel cognosceret eiusque veneratione ductus religiosam sancti Alphonsi familiam adamaret. — Etsi studia gymnasialia nondum absolverat, tamen propter egregium ingenium, cum in schola



semper primus fuisset, ad noviciatum admissus est, cui quidem in Maria Hamicolt sito tunc temporis praefuit R. P. Eichelsbacher, vir pietate vere eximia praestans, qui postea in fama sanctitatis Romae mortuus est. Dubitari nequit, quin Fr. Ioannes Urbany sub tali magistro solidum perfectionis religiosae fundamentum posuerit ac sincere ad vota emittenda se praeparaverit, quae die 8 decembris 1861 nuncupavit. Quo facto in eadem domo Maria Hamicolt in studia philosophiae et theologiae alacri animo incubuit, in quibus iuvante indole vere singulari ita profecit, ut aliis exemplo esset.

Die 13 aprilis a. 1867 Monasterii in Westfalia sacerdotio auctus et paulo post domui in Bornhofen ad Rhenum sitaeascriptus est, ut ibi alterum noviciatum perageret et sub tutela Matris Dolorosae, cuius imago miraculis clara in Bornhofen magno populi concursu colitur, animum virtutibus apostolicis imbueret et contionibus elucubrandis arma conficeret ad praelianda praelia Domini. At desiderio eius laborandi in vinea Domini non statim potuit satisfieri, cum superioribus opus esset lectore philosophiae et rerum physicarum. Quare P. Urbany ad collegium in Maria Hamicolt revocatus est, ut utramque hanc disciplinam fratres clericos doceret. — Duplex hoc officium satis difficile fuisse nemo certe negabit; sed athleta Christi, quem Deus non solum acri ingenio, sed etiam miro quodam animi robore donaverat, difficultates minime timebat ideoque opus sibi impositum magna cum laude exsecutus est.

Quinque fere annis elapsis in Germania gubernium persecutionem ecclesiae (*Kulturkampf*) movit. Ut tot alii viri religiosi, ita filii etiam Sancti Alphonsi in exilium acti sunt. Quare P. Urbany iussu superiorum in Angliam profectus est, ut animas ibi Christo lucrifaceret. Post tres menses in addiscendam linguam anglicam impensos primum sermonem anglicum in ecclesia habuit. Quae res multis admirationi fuit, superiores vero, cum eius facultates oratorias permagnas esse viderent, commovit, ut eum ad munus missionarii deputarent. Hoc superiorum decreto genuinus Sancti Alphonsi filius magno gaudio affectus est, utpote cuius cor vehementer ad imitandum patrem dilectum traheretur, zelantissimum eum quidem in animabus aeternae saluti comparandis. Brevi igitur elaboratis sermonibus anglicis



missionario necessariis ad cuiusvis generis labores in vinea Domini suscipiendos mox instructus erat atque paratus.

Itaque ab anno 1873 usque ad annum 1882 in domibus Bishop-Eton, Limerick, Dundalk missionarii munere functus est ac multis animabus portas caeli aperuit, praesertim in Hibernia. Ad summam usque senectutem memoria Hiberniae in anima eius viguit, et confratres eum iterum atque iterum dicentem audierunt se quavis hora cum gaudio paratum esse ad dilectos suos Hibernos redire.

Anno 1882 a Superiore provinciali iussus est in domo studentatus anglici Teignmouth fratres clericos philosophiam docere, quo munere usque ad annum 1891 occupatus erat.

Quamquam autem zelus eius apostolicus in Anglia multos pulchrosque fructus produxerat et facultates eius ac scientia ibi a confratribus magni habebantur, tamen provinciam matrem numquam oblitus, sed memori semper mente et grata recordatus est. Hinc oboedientiae voci libenter obtemperavit eum Lucemburgum revocanti, ubi mandatum accepit fratres studentes provinciae suae primum quidem in iure canonico, post etiam annis sequentibus in theologia dogmatica erudiendi. Anno autem 1896, quo tempore studentatus provinciae Germaniae inferioris ad tempus coniunctus est cum studentatu belgico in Beau-Plateau, P. Urbany in patria missionarii partes suscepit, quae vero sancti Alphonsi filio omnium erant gratissimae. Itaque tum in dioecesi Lucemburgensi tum in dioecesibus provinciae Rhenanae multis in missionibus desudavit multaue exercitia modo ad sacerdotes saeculares modo ad viros religiosos ac sorores habuit.

Etiam secundo noviciatui strenuus missionarius non semel praefuit et iuniores patres spiritu Sancti Alphonsi imbuere eis que sermones aptos ac graves suppeditare maximo studio nisus est.

Ab anno 1908 usque ad annum 1912 consultoris provincialis munus explens superiorem suum iuvare bonoque provinciae providere omnibus viribus nitebatur.

Cum iam senex factus esset, a divina providentia e provincia Rhenana Lucemburgum reductus est, ut protegente caelesti Matre sua Maria Consolatrice afflictorum, ubi vitam feliciter incepit, ibidem feliciter cursum consummaret.

P. Ioannes Urbany vir erat vere religiosus, qui sincero studio ad perfectionem tendebat. Regularis observantiae erat amantissimus ac tenacissimus, quae diligentia haud raro, maxime in senectute, ad scrupulositatem prope accedere videbatur. Actus communes per totam vitam religiosissime exercuit et frequentavit, cum etiam senex venerabilis plus octoginta annorum quovis mane hora quinta in chorum adiret, ut meditationem cum confratribus institueret. In unoquoque superiore Christum ipsum cernere consueverat, auctoritatem eius permagni faciens eiusque mandata libenti

animo amplectens. Imprimis in eo, uti iam innuimus, fortis ac vere singularis amor in Patrem nostrum ac Fundatorem Sanctum Alphonsum elucebat, cuius scripta legere in deliciis habuit, cuius dicta ac doctrinam in numero fere dogmatum fidei collocavit. Cum in summa senectute memoriam fere perdidisset, dictitare solitus est: « Unum adhuc retinui et minime oblitus sum: dictum illud sancti Patris Alphonsi: Pro certo habeo eum, qui in Congregatione moritur, salvum fieri; hoc tenens nullum sentio moriendi timorem ». Ex hac erga sanctum Fundatorem veneratione facile conici potest, quanto gaudio affectus sit, cum mense decembri a. 1911 a Provinciali suo itineris Romani socius electus esset atque ita veniam accepisset quinquagenarium professionis iubilaeum ad sepulchrum S. Alphonsi Nuceriae Paganorum celebrandi.

A beato Patre filius didicerat Mariam Dei hominumque matrem toto pectore amare. Devotio erga B. M. V. ei tamquam Lucemburgensi quasi innata erat. Studio Mariologiae omnium maxime delectabatur eamque optime explicavit sex tomis sermonum Marianorum diligenti manu conscriptorum. Alacri semper animo Mariae laudes e suggestu praedicavit. Quare magnum ei gaudium erat, quod sexies i. e. sex annis diversis in honorem almae patronae patriae suae B. M. Consolatricis afflictorum praesentibus episcopo et ingenti sacerdotum ac populi confluxu orationes sacras per octavam sollemnem in ecclesia cathedrali habere ei licuit.

Quae diximus, abunde efficere videntur P. Ioannem Urbany, cum die 10 aprilis huius anni 1925 in Parasceve Domini hora fere eadem, qua Sanctissimus mundi Redemptor mortuus est, animum Deo redderet, certe iudicem propitium invenisse et ob pretiosa, quae ex diuturna vita religiosa atque apostolica percepit, merita coronam illam adeptum esse, quam Sanctus Pater Alphonsus omnibus fidelibus Congregationis sodalibus praeparatam vidit. R. i. p.!